



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

15. An actus, vel omissio externa, per quam feratur censura, debeat esse
signum actus interni? Ex p. 5. tr. 9. res. 49.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

dis. 8. dub. 3. Sayr. lib. 1. cap. 9. num. 14. Suar. de cens. disp. 4. sect. 1. Coninch. de Sac. disp. 1. 13. dub. 8. & alios communiter. Unde & Valg. recte cum Hurtado de cens. in comm. diff. 1. 1. docet ex dictis exemplis nullum actum interiorem contentum in illis præcipi, neque prohiberi, nec puniri ab Ecclesia, nisi verbo, aut alio signo exterioris indicetur, quamvis conjungatur cum exteriori actu, ac proinde Inquisitores non incurrere excommunicationem, quamvis ex odio, vel amore non procedant in causa fidei, nisi signo aliquo exteriori indicent omissionem procedendi provenire ex odio, vel amore, nec Monachum Benedictinum, quamvis adeat Curiam animo accusandi Superiorem, nisi exterioris indicet eo animo adire, nec eos, qui in contemptum dicti Dominicæ ea die jejunant, nisi indicent exterioris dici fieri in contemptum, nec eos, qui interioris discrepant, nisi exterioris indicent animum hæreticum, imò non sufficit postea fateri se interioris discrepasse, nec adisse Curiam eo animo, necnon processisse in causa fidei, ex odio, aut ex amore; quia id non est discredere nec adire Curiam eo animo, nec non procedere in causa fidei ex odio, aut ex amore.

RESOL. XV.

An actus, vel omisso externa, per quam feratur censura, debeat esse signum actus interni? Ex part. 5. tract. 9. Resol. 49.

§. 1. Tam dictum est in superiori resolutione Doctores docere ob solum actum internum non posse imponi censuram, sed esse necessarium actum, vel omissionem externam; sed ut verum fatear non satis explicarunt an actus, vel omisso externa debeat esse signum actus interni; id verò fuscè & subtiliter explicarunt duo illa lumina Societatis Iesu, Valg. & Suarez.

2. Difficultas igitur est, an quando actus externus non est signum externum sub peculiari ratione malitiæ, ob quam imponitur ab Ecclesia censura, incurritur, v. g. si imponatur excommunicatio ob peccatum hæresis, & quis ex judicio hæretico faciat actum externum, qui non sit signum hæresis quando est, an propter talem actum incurritur poena imposita? Pater Valg. in 1. 2. disp. 160. cap. 5. n. 20. & cap. 3. & tract. de excomm. dub. 19, docet necessarium esse, ut opus externum sit significativum actus interni sub ratione, quæ est prohibitus actus externus ab Ecclesia; & ratio est, quia actus exterior sub ea ratione malitiæ omnino est incognitus Ecclesiæ; nam neque ex materia habet eam malitiam, neque est signum malitiæ ex fine, quæ latet in voluntate, ergo.

3. Verum Pater Suar. de cens. disp. 4. sect. 2. n. 18. quoad præsentem questionem docet, primò si actus externus sit secundum se bonus non incurrere hominem operantem censuram impositam propter tale opus. Probat num. 2. quòd sit bonus, & non est signum malitiæ ex fine, neque ab Ecclesia potest judicari malus ob solam circumstantiam finis. Secundo docet n. 22. posse Ecclesiam prohibere actionem externam ex se malam, & prohibere illam, ut procedentem à peculiari affectu, & non ab alio, & hoc putat probari aliquibus argumentis, quibus probari solet Ecclesiam punire posse actum internum ut connexum exteriori; & ultèrius probat, quia etiam si quis externo actu profiteretur hæresim, si internum veram fidem retineret, non incurreret poenam hæresis; ergo potest Ecclesia actum externum punire ut conjunctum peculiari actui interno. Tertiò docet num. 25. Ecclesiam posse punire actum externum propter defectum interni, quando est quasi de substantia externi, & num. 27. concedit posse aliquem incurrere poenam ab Ecclesia impositam ob

defectum talis actus interni, etsi exterior nullum sit signum ejus defectus. Hæc Suarez.

4. Sed Turrianus de cens. lib. 1. disp. 4. dub. 2. & meritis magis approbat sententiam Valg. & propter ejus rationem approbat primum dictum Suarez. Tertiò verò Turriano displicet, quia ratio facta pro sententia Vasquez, eandem vim habet, quia sicut intentio aliàs mala circa actionem ex se bonam externam non potest esse nota Ecclesiæ quando nullum est signum externum. Ergo utrumque est per se incognitum Ecclesiæ. Et patet, quia si Ecclesia vellet imponere ob talem defectum aliquam poenam distinctam à censura, quæ esset ab Ecclesia infligenda exterioris, non posset, quia non posset probare in foro externo illud peccatum ex defectu signi interni, & non solum ex defectu testimonij, ut per accidens contingit in aliis peccatis, ut sunt ex se cognoscibilia ab Ecclesia ob signum externum. Circa verò secundum dictum Patris Suarj non dubitat Turrianus posse Ecclesiam punire actum externum ob peculiarem actum internum, ut Suar. probat, sed contendit non incurri censuram impositam ob actum externum cum illo interno, nisi exterioris constet de affectu illo interno.

RESOL. XVI.

An incurritur in excommunicationem, quando opus externum, cui annexa est excommunicatio, fuit solum veniale, sed internum mortale? Ex part. 5. tract. 9. Resol. 41.

§. 1. Placet huic dubitationi respondere cum verbis Laurentij de Portel, viri quidem docti, in dub. in tr. 2. Ref. Reg. verb. excommunicatio, in addit. n. 1. ubi sic ait: Percussit quis Clericum pravo animo, ita ut ex pravo animo percussio sit mortale peccatum: at ex parte operis percussio fuit levis, & venialis. Quæris, inquam, an ob talem percussorem incurritur excommunicatio? Respondet Sanchez negativè 2. lib. Decal. cap. 8. n. 7. & citat Henriquez, Gutierrez & alios. Et hoc idem dicendum erit in quovis alio opere, cui annexa est excommunicatio, si opus externum fuit solum veniale, & leve, licet internum fuerit mortale; & ratio est, quia Ecclesia non excommunicat actus internos, sed externos & requiritur ut actus externus sit de se gravis, & mortalis.

RESOL. XVII.

An censura sententia lata sub forma disjunctiva, v. g. præcipio hoc sub poena excommunicationis, vel suspensionis, habeat effectum? Et an reus sub tali forma teneatur saltem ad alterutrum? Et an qui sub hac forma censuram ferret, graviter peccaret? Ex part. 5. tract. 9. Resol. 63.

§. 1. Causus est curiosus, ad illum negativè respondet Navar. cap. 27. num. 61. & Sayrus de cens. lib. 4. cap. 7. num. 3. Henriquez lib. 13. cap. 32. num. 4. Vgolinus de cens. tit. 1. §. 2. num. 4. & hanc opinionem testatur Turrian. docuisse P. Vasquez in tract. MS. de suspensione §. 2. loquentem in specie de suspensione ab officio, & ratio est, quia ista verba, v. g. Excommunicatio, vel suspensio, nihil determinate significant ergo nihil determinate efficiunt, præsertim quòd nec utrumque præstare valent, ut dictum est, nec alterum tantum, cum non sit major ratio unius, quam alterius, & ita hanc sententiam negativam mordicus tenet Gordonus in sum. tom. 2. lib. 7. quest. 5. cap. 1. n. 5. ubi sic ait: Potest ferri censura disjunctivè hoc modo. Suspenso maneat, vel excommunicatus, & aliqui putant